

gratia? Resp. non profecisse quoad habitus, sed quoad effectus et manifestationem gratiæ et sapientiæ suæ. Itaque non fiebat paulatim sapientior, et Deo gravior, sed apparebat in eo in dies major gratia et sapientia, et quidem coram Deo et hominibus, hoc est, vere quoad effectus, dum nimirum edebat opera magis et magis eximia, majorem sapientiam et gratiam redolentia. In hunc modum sol, licet initio diei non habeat tantam claritatem, quantam habet in meridie, crescere tamen in claritate dicitur et videtur, quia in meridie magis explicat lumen suum: item, cum nube opertus paulatim eam dividens, magis et magis diffundit radios suos. Quare Christus in infantia sua, quasi densa nube tectus fuit, et nullos pene radios suæ gratiæ ac sapientiæ ostendit: sed in pueritia incepit dissipare nonnihil nubem, et sensim effundere radios suos.

Resp. secundo, profecisse etiam sapientia seu scientia experimentalis et acquisita; (etsi non videtur huc respexisse evangelista) didicit ergo ipsa experientia obedire, paupertatem, esuriam, contemptum pati, etc. ut nobis per omnia similis fieret, et compati posset infirmitatibus nostris. Facile est, scientiæ disputare de obedientia, sed non ita obedire. Christus illud semper scivit, hoc in tempore didicit, quomodo etiam ad Hebr. V. dicitur: *Ex iis, quæ passus est, didicisse obedientiam.*

Hunc in modum decet etiam nos una cum ætate in dies proficere, sapientia et gratia, seu virtutibus, earumque radios magis et magis effundere. Et certe si nihil aliud, ipsa ætas et experientia nos facere cautiore et sapientiores deberet. Quam multa enim ætate nostra spectavimus vel audivimus, quæ nos in Dei obsequium, mundi contemptum, virtutum amorem et vitio-

rum fugam impellere debent? Quam multis experimentis vidimus Deum in cælo esse, vindicem malorum? Hæresim esse fugiendam? Vitia cavenda? Quam multi didicerunt ipsa experientia, male sibi cedere ebrietates, fraudes, rapinas, libidinem? Bene contra sibi cedere virtutem? Non se depauperari per crebras eleemosynas et templi frequentationem, feriarumque observationem? Quam sæpe experti sumus, malum tandem finem sortiri improbos, bonum vero probos? Quam crebro animadvertimus morti non fidentium, ut quæ ante et retro, juvenes et senes pariter et inexpectato adoriatur? Quam crebris Dei flagellis puniantur scelera nostra? Et hæc omnia tamen parum adhuc possunt ad nos erudiendos. Merito ergo timemus, ne in nobis aliquando verificetur illud Isaïæ, cap. LXV. *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* Audiamus Philonem Judæum: « Quousque nos senes adhuc pueri erimus? Corporibus quidem propter temporis longævitate senes, animis autem propter ignorantiam et hebetudinem admodum pueri? » In meliss. l. II. c. XVIII. Audiamus ipsum Christum hac de causa discipulos redarguentem, quod adhuc de panibus solliciti essent, postquam iterato miraculo pasti erant. *Quid cogitatis, inquit, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum? Oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis? Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia? Et quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Quando et septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? Marc. VIII. Nobis hæc, auditores, dicta existimemus, et Deo confidamus, etc*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

AD PRIMAM CHRISTI CONCIONEM INVITANTUR VARI.

I. Docet rudes et parvulos, audire catechesin et Dei verbum. — II. Docet eruditos et senes, non respicere alios docentes. — III. Docet agricolas, ne metuant rebus domesticis dum adsunt rei divinæ. — IV. Docet cives, ubi et in quorum aëdibus quærendus sit. — V. Docet filios et filias, plus obligari eos Deo, quam parentibus. — VI. Docet patres et matres bono exemplo liberis suis præire. — VII. Docet subditos et servos parere suis dominis et studere eorum commodis. — VIII. Docet dominos et magnates subicere se Ecclesiæ ejusque prælati.

THEMA.

Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Luc. II.

Sacerdotes neomystæ, quando primum sacrificium Deo offerre cogitant, solent per concionatores id denuntiare et ad suas, ut vocant, primitias populum invitare. Si ad primum sacrificium decet convocare populum, cur non etiam deceat ad primum alicujus concionatoris sermonem? Et ecce vobis hodie novum, quamquam admodum juveniculum, revera tamen sapientissimum et regium concionatorem, Christum Jesum, quem hodie in templo Jerosolymitano primum suum sermonem edidisse audimus in hodierno evangelio. Hic ille prædicator est, qui Psal. II. per os prophetæ vaticinatus est: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Sermo vero illius primus hic est: *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Brevis quidem et succinctus, sed potens ac salutaris, doctrinarum ponderere prægnans. Ad hujus ergo novi et divini concionatoris primam et divinam concionem vos huc invito, auditores. Adeste parvi et rudes, adeste litterati et senes, agricolæ et cives, liberi et parentes, domini et servi; quia omnibus vobis et singulis doctrinam offert.

I. Venite rudes et parvuli, audite concionatorem hunc novum. Quid vero concionabitur vobis? Monet ut verbi Dei audiendi causa templum sedulo frequentetis, imo et quasi ei affixi adhæ-

reatis, si filii Dei esse cupitis. Auditis enim dicentem: *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Hoc est, templo. Sed cur in templo esse debeat? Ut nimirum doctores et audiret et interrogaret, quod fecisse eum ait Lucas, non quod ipse instructore egeret, qui omnes doctores instruit, sed ut vos, qui indigetis, templum velut scholam verbi Dei frequentetis. Quid cæco magis optabile magisque necessarium, quam lumen oculorum? Et quid voluit sibi cæcus ad Jericho tam constanter vociferans? *Jesu, Fili David miserere mei!* Adductus quidem ad Christum opinionem accepit petendi quod vellet: *Quid tibi vis faciam?* (Matthæus ait fuisse duos.) Et quid tandem petiit? Nihil aliud nisi visum: *Domine ut videam,* Lucæ XVIII. Et juxta Matthæum, cap. XX. *Domine ut aperiantur oculi nostri.* Quid enim est cæcitas nisi quædam mors et mæror continuus? Ad hæc *quam deformes sunt oculi cæcorum!* ait S. Ambr. I. de Noe et arca, cap. VII. « Et quid mirum si vultus hominis absque oculis deformis est, quando ipsum cæcum sine sole non habet suum decorem? Tristes sine sole ducimus dies, noctes sine luna non placent: ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina et quædam est in cælo cæcitate deformitas. » Neque tamen adhuc æquat hæc corporalis deformitas illam, quæ est in animo, ignorantiam rerum cælestium. Qui enim hoc lumine caret, longe miserior et deformior est quam omnes, qui in toto mundo oculis capti sunt. Atqui hoc lumen non præstat nisi verbum Dei, juxta id Ps. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* At verbum Dei ubi auditur nisi in templo? Unde S. Chrysost. hom. XVI. ad pop. ait: « Ubinam alibi audies, quæ hic meditaris! Si in forum iveris, rixæ ibi et pugnæ; si in curiam, civilium rerum cura; si domum, privatarum rerum sollicitudo undique affligit; si in fori conventicula et consessus, omnia et illic terrena et corruptibilia: vel enim de venalibus, vel de tributis, vel de lauta mensa, vel de agrorum venditione, vel de aliis contractibus, vel de testamentis, vel de hæreditatibus, vel de aliis talibus a cunctis eo convenientibus sermones habentur. Et si in ipsas veneris regias, illic rursus omnes disserentes audies de potentia, de gloria, quæ hic honoratur:

spirituale vero nihil. Hic vero contrarium totum, de his, quæ in cælo sunt, rebus, de anima, de vita nostra, et quare facti sumus, et quare hi tantum temporis commoramur, et ad quæ hinc migramus, et quid posthæc nos suscipiet, et quæ de re nobis corpus luteum, quæ mortis natura, quid tandem est præsens vita, et quæ futura : et nihil prorsus terrenum, sed omnes de spiritualibus nobis sermones habentur. » Sic ille.

II. Venite docti et senes, et audite concionatorem parvum ætate, sed maximum sapientia, qui cum esset ipsa Dei sapientia, tamen asserit debuisse se morari in iis quæ Patris ejus sunt, hoc est, audire et interrogare doctores. Quis jam quantumcumque sapiens et eruditus detrectabit amplius aliquid discere et audire etiam se juniores minusque eruditos? Certe sapientissimus Salomon, initio statim Proverbiorum suorum, c. I. ait : *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.* Qui clavum navigii tenet, etiamsi sit peritissimus artis nauticæ, libenter tamen alios audit navarchos, qui ventos, scopulos, et periculosa maris loca indicant, ut in arte sua peritior fiat, et navim securius dirigat. Hoc est quod ait Salomon : *Gubernacula possidebit,* quasi diceret : Possidebit artem gubernandi navim quaquaversum per omnes vias. Dictio Hebræa significat *consilia*, quæ quo plura, eo meliora sunt. Providus enim navarchus non unum tantum, sed plura habet gubernacula, ut uno fracto vel amisso, substituat alterum : et navigium prægrande pluribus anchoris et funibus munit, ut rupto uno reliqui teneant. In alto mari navigamus, multa undique pericula sunt, etiam senibus et doctis nondum perspecta : multa ergo arte rerumque cogitatione omnes indigemus, ut nullibi impingamus. Audi Senec. ep. LXXVII. ubi ait : « Tamdiu audiendum et descendendum est, quamdiu nescias, et si proverbio credimus, quamdiu vivas. » Alphonsus Arag. rex sapientissimus lectioni theologicæ in scholis tradi solitæ, sæpius interfuit : « Non pallio et crepidulis inambulans in gymnasio, ut Scipio ille, sed attentissimo animo, et toto, ut aiunt, pectore incumbens quoque et doctis imitandum, ut ignavis rudibusque pudori sit, pedes, etsi longe distaret auditorium, ad lectionem venire non dubitavit. » Ita de ipso Panormitanus, l. I. diet. et fact. ejus, cap. XXXIX. Carolus IV. imper. ad quatuor horas magistros in scholis Pragenses audivit : cumque id purpurati ægre ferrent, suggerentque horam cœnæ effluxisse : *Mihi,* inquit, *minimo effluxit : nam cœna hæc mea est.* En. Sylv. libro IV. comment. Quinimo M. Antonius imper. Sextij philosophi domum cum

libro adisse scribitur. Cui cum Lucius vir sapiens obviasset et rogasset quonam aut cur pergeret, respondit : « Pulchrum etiam senescenti discere : peto philosophum Sextium, percepturum quæ necdum didici. » Ad hoc Lucius : « O Jupiter! Romanus imperator jam appetente senio gestans librum, qui pueris mos est, præceptorem adit! » Cæc. Rodig. lib. XX. c. XXVI. Quid igitur erubescant homines privati discere in templo, si tanti principes, et jam senes, discere in schola minime erubuerunt? Porro S. Basilus, hom. XII. in cit. Prov. locum ait triplex esse mare nobis transeundum, sæculum hoc nequam, deinde cor nostrum æstuans variis concupiscentiis, denique viam cœli obsessam a piratis dæmonibus. Unde patet multa opus esse cogitatione ad percurrenda ista maria, nec quemquam nimis doctum in arte hac evadere.

III. Venite huc agricolæ, audite concionatorem novum, qui securos vos esse jubet, dum rei divinæ vacatis; nec quidquam timendum, ne interim res vestræ pereant. *Quid est,* inquit ad parentes, *quod me quærebatis?* Quasi dicat : Non potui perire, qui in domo et negotio Patris occupatus fui; neque erat, ut pro me anxii essetis, ne perderet, qui causa piæ peregrinationis Jerosolymam me adduxistis. Videtur illis in memoriam reducere, quod Exod. XXXIV. promiserat Hebræis, ex lege ter in anno ascendentibus Jerosolymam ad offerendum : *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te et apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Quasi dicat : Ego ero sollicitus, pro te et rebus tuis, dum tu sollicitus es pro me : nihil interim rerum tuarum perdes in terra tua, vel uti dixit Christus Sanctæ Catharinæ Sennensi : *Cogita de me et ego cogitabo de te.* Non poterat ergo perdi a parentibus filius, ad Dei obsequium adductus Jerosolymam. Idem vos cogitate agricolæ, qui plerumque a templo longe abestis, et pagos ac domos vestras immunitas habetis. Nihil vobis peribit pergentibus ad templum et vacantibus rei divinæ. In vitæ Sancti Maclovii episcopi refert Sigebertus, apud Sur. 15. novemb. S. Antoninus, p. I. hist. l. XII. c. VIII. § V. et alii eum navigasse tempore paschali, et cum rem divinam die sacro paschalis facere desideraret, apparuisse quasi parvam insulam : (erat autem ingens balæna instar magnæ rupis) in illam exscendisse cum sociis 180. et missam peregrisse, interim mota bellua omnes consternatos ad navim fugisse, sanctum vero, Jonæ recordatum, sacrificium absolvisse : post ubi navim omnes inscenderunt, molem illam depressam in undas; sicque patuisse non rupem, sed balænam fuisse. Sustinuit ergo im-

manis bellua tot homines in dorso, quia Deo vacabant, in documentum aliis, ne dum divinis rebus intersunt, de humanis ambigant. Addo, quod in vita S. Mariani eremitæ scribit Sanctus Greg. Turonensis, de gloria confess. c. LXXXI. his verbis : « Alterius hominis malitia fur boves abstulerat, qui apprehenso vestigio, et inter infusus aqua viarum tramites, ad profundas luti voragine perdito, ad sancti recurrit sepulcrum, fusaque oratione dum de basilica fuisset egressus, advertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boves illos ante se cum caballo ex itinere lapsus prosequens adducebat. Turbatus enim fuerat a via, et quasi amens factus in illam partem, de qua egressus fuerat, mente turbata redibat. Cognoscitque vir ille boves, quos perdidit, hos recipiens, hominem absque calumnia redire permisit, quia cognovit hoc sibi per virtutem S. Mariani præstitum, cum in illa hora sibi reperit perditum, quæ ejus adivit plenus fide sepulcrum : quæ postquam gesta sunt, diligentiore cura confessorem Dei plebs cepit excolere Biturgia. »

IV. Adeste et vos cives, et discite a concionatore isto, ubi et in quorum ædibus quærendus et inveniendus sit. *Nesciebatis,* inquit, *quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quæ verba sic exponit Eusebius Emisenus, si tamen is est auctor in hod. evang. « Quid est quod me in comitatu infidelium, et extra ecclesiam esse putabatis? Hic eram, hic me quærat, qui quæere vult, an nesciebatis quam in his, quæ Patris mei sunt (et inter illos, qui Patris mei voluntatem faciunt) oportet me esse? » Vult ergo dicere Christus, se non in domo Herodis aut Pilati, nec in turbulentis diversoriis, nec in civium profanis ædibus esse quærendum, sed in domo Patris sui, et iis locis, ubi Deus colitur et animæ salus, non perditio; cælum, non terra quæritur; et ubi duo vel tres in nomine ejus congregati sunt. Videtur huc spectare visio, quam exhibuit Deus, Eliæ III. Reg. XIX. quem in monte stare jussit, et ecce : *Spiritus grandis et fortis, subvertens montes, et conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus : et post hæc commotio; non in commotione Dominus : et post commotionem ignis; non in igne Dominus : et post ignem sibilus auræ tenuis, et in hoc demum erat allocutus Dominus Eliam.* Recte meo judicio, spiritus grandis superbiam vitæ, commotio terræ, avaritiam seu concupiscentiam oculorum, ignis vero concupiscentiam carnis, gulam et libidinem insinuat; tres primarios animarum prædones. Ergo ubi spiritus superbiæ, et qui inde nascitur turbo iracundiæ, grassatur in aliqua domo, non est ibi Dominus :

similiter ubi terra, hoc est, aurum et argentum commovetur, numeratur et coacervatur, ubi opum desiderio terra vertitur, foditur et perfoditur, non est ibi Dominus; denique ubi ignis luxuria dominatur, vel ignis culinarius perpetuo ardet gratia convivorum, non est ibi Dominus. Ubi igitur invenitur? In sibilo auræ tenuis, h. e. in pace et tranquillitate, ut explicatur a Macario, ho. VI. in sibilo, inquam, Spiritus sancti afflantis, et inspirationis sibilo regentis hominum corda; ubi et pax regnat; quia *factus est in pace locus ejus,* Psal. LXXV.

V. Adeste filii et filiæ huic primæ concioni, quia et vos tangit. Auditis enim Christum potestatis coram parentibus suis secundum carnem, se plus obligari Patri suo cœlesti, quam ipsis ideoque eis inconsultis remansisse in domo Patris sui æterni, quod voluntas Patris id suavisset, et zelus animarum, quæ per ipsum in templo ædificabantur. Quando igitur vocamini hinc quidem a Deo ad pietatem, illinc vero a parentibus ad terrenum finem, quid in hoc bivio agendum? Per calcatum pergite patrem, per calcatam pergite matrem, et ad Dei voluntatem vexillumque crucis evolate siccis oculis, ut ait S. Hieronymus : *Qui enim amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus,* ait Dominus, Matth. X. Sensit utique et seivit Christus dolores et singultus matris suæ charissimæ, neon et Josephi, verum quia Patris cœlestis voluntati affixus hærebat, et potior ratio habenda erat profectus animarum spiritualis, quam curæ parentum carnalis, ideo lamenta eorum non audiit. Præclarum hujus generosæ virtutis specimen præbuit etiam Moyses, adhuc adolescens, qui cum ex oraculo divino (quod ejus patri Amræ datum esse filium scilicet Moysen fore liberatorem populi de servitute Ægyptiaca scribit Joseph, lib. II. antiq. c. V. idque Moysi perspectum et pervulgatum fuisse indicat S. Steph. Act. VII.) didicisset Dei voluntatem, qua educere aliquando Hebræos ex Ægypto deberet : *Fide,* inquit apost. ad Hebr. cap. XI. (illius scilicet oraculi) *grandis factus negavit se esse filium filiarum Pharaonis.* Potiorem igitur divinæ vocationis, quam terrenæ, licet regie dignitatis, (quem expectare saltem, velut nepos regis habitus poterat) rationem habendam esse dixit, multique Hebræis se jungere quam Pharaonis aulæ. Regiam successionem posthabuit hic adolescens divinæ vocationi; quidem idem faciant filii, qui tam amplam fortunam a parentibus suis maxime expectant.

VI. Adeste et vos patres atque matres : audite quid novus hic concionator dicat : *Nesciebatis.*

inquit, *quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quasi dicat: Nonne filius solet tractare negotia patris sui, ejus officinam terere, studia sectari? Qualia enim vos exempla liberis vestris demonstratis, tales aliquando constitutos videbitis. Ut enim proles communiter referunt vultum, incessum et gestum parentum: ita etiam amant, et sectantur eorum studia, ut docet experientia. Verum id multo frequentius contigit in vivendi ratione et moribus; quod enim vident in parentibus liberi, id pro regula acceptant, quasi pulchrum et æquum honestumque. Cerneris id erat in Rachele, quæ cum marito suo Jacob discedens e paterna domo nihil aliud sibi surripuit, secumque abstulit, præterquam idola patris sui; cum alia tam multa et utiliora suffurari potuisset e prædivite domo, Gen. XXXI. Nimirum vidit ipsa a teneris, quanto in honore et pretio semper idola illa, quantamque in illis spem habuisset pater: hinc illa eorumdem amore inescata, velut rem pretiosissimam, sibi que charissimam, ex omnibus patris bonis sublegit, eaque cum inquirentur, mordicus retinuit, super illa sedendo et stramenta injiciendo. Eodem prorsus modo, si non semper, saltem ut plurimum mores parentum imitantur filii, sive bonos, sive malos, et firmissime adhærent paterno vel materno ingenio. Viderunt eos aversos a catholica fide? Aversionem et ipsi concipiunt et retinent. Viderunt aleis et poculis addictos? Idem faciunt. Avaritiæ studuisse? Eidem operam dant. Impudicos fuisse? Et ipsi Venerem colunt. Hinc tam serio Deus præcepit Hebræis gentium regiones ingressuris, Exod. XXXIV. *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ (per idololatriam) fornicari faciant et filios tuos in deos suos.* Saltant enim filii, sicut a parentibus cani audiunt.

VII. Venite subditi et servi. Quid vobis puer hic divinus prædicat? Monet ut faciatis voluntatem vestrorum dominorum, et versemini in iis, quæ ipsorum sunt, commodis ac honori eorum pro viribus studeo. Ait enim: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* h. e. facere opera Patris mei, docere, animas lucrari, orare, domum ejus servare, et ab immunditiis expurgare? Sunt etiam domini vestri modo aliquo parentes vestri, quia sustentant, defendunt et amant vos, velut domesticos et familiares, adeoque amicos suos. Hinc servi Naamanis, non dominum, sed *patrem* appellant herum suum, IV. Reg. V. Et qui familiæ præest, *paterfamilias* vocatur. Vult igitur divinus hic concionator, ut etiam vos faciatis opera dominorum vestrorum, illorum bono et profectui, non vestro aut ves-

trorum, propinquorum vel amicorum studeatis, domus eorum servetis et defendatis ab omni injuria, etc. quod vel ipsum vocabulum (*ehehalten*, quasi dicas, servatores conjugii) indicat. Sunt enim servi ex sententia Aristotelis, instrumenta dominorum velut baculus viatoris, quo se et sustentat et defendit. Uti ego baculus id præstat homini, ad quod ab eo applicatur: sic et servi herorum exequi mandata, et agere negotia debent fortiter ac fideliter, etiam cum neglectu rerum propriarum et suorum propinquorum; quod sane docuit Christus, dum etiam matrem suam deseruit, et lugere permisit, ne domum Patris sui et negotium sibi ab eo demandatum negligeret. Præclarum hujus erga dominum fidelitatis exemplum edidit Alphonsus Petrus Gusmannus, cum Tariffæ urbi Sanctii IV. Castellon. regis nomine præfectus esset, atque in ea Maurorum obsidione premeretur. Cum enim in eorum numero esset etiam filius Gusmanni, produxit hostis ad muros filium præfecti; mox eum mactaturus in conspectu patris, ni is deditioem faceret. Verum tamen abest, ut ob hoc civitatem domini sui hosti traderet Gusmannus, ut etiam e muris ei ensem dejiceret ad obtruncandum filium, dicens, nolle se, ut ei modus ad occidendum filium deesset. Itaque filium suum eadem animi constantia, qua gladium porrexerat, coram se occidi vidit, raro profecto fidelitatis exemplo, Fulgos. I. IV. c. VII.

VIII. Ad clausulam concionis, (quod fere solent) veniant domini et magnates, et vel parum secum auferant ex Christi concione, qui sane eos docet submittere se Ecclesiæ ejusque prælati, ut interrogati de vitæ ratione, præceptorum observatione, sæque conscientiæ constitutione, non tergiversentur, sed rationem reddant, seque aut excusent, aut accusent. Neque enim majores sunt Dei Filio, qui a matre interpellatus, cur parentes suos inconsultos deseruisset, humiliter respondit, seque ob urgentiorem cœlestis Patris voluntatem excusavit. Nimirum Christus Dominus et Filius erat Dei, et Filius erat hominis. Qua Filius Dei in actionibus suis theandricis independens erat a parentibus carnalibus: non autem qua Filius hominis, in actionibus mere humanis. Hunc in modum principes et magnates duas quasi personas sustinent; unam qua gubernant populum: alteram, qua gubernantur ab Ecclesia, velut oves. Quantumque enim sint, interim oves Ecclesiæ sunt. Quare si Ecclesia eos interroget: *Fili quid fecisti nobis sic?* Transgrediendo præcepta Dei vel Ecclesiæ, negligendo toties rem divinam, stata jejunia, dies festos, paschalem communionem, etc. te-

nentur responsum et rationem dare. Cogitent quid acciderit regi Ozia, qui cum adolendo incensum, sacerdotum munus invasisset, et ab iis redargutus non respondisset, sed minatus insuper esset; statim in fronte correptus lepra illicoque e templo profugus, regno etiam depositus, totaque vita sua solitarii et quasi exul fuit, II. Par. XXVI. Addit Josephus, I. IX. ant. c. XV. simul terram vehementer concussam esse, fissoque superne templo radium solis os regis improbum feruisse.

Superest nunc et concionatori huic divino cor aperiamus, ne frustra se laborasse jure conqueri possit. Neomystis solent ad altare munera offerri: concionatori nostro quid offeremus? *Fili præbe cor tuum mihi*, ait Prov. XXIII. Aperite ei corda vestra ad excipiendam ejus doctrinam, et magnum munus obtulistis.

CONCIO II.

QUOMODO LOQUENDUM, PRÆSENTIM LIBERIS CUM PARENTIBUS.

I. Loquantur suaviter et modeste. — II. Loquantur veraciter. — III. Parce seu paucis. — IV. Tarde et considerate. — V. Obsequenter. — VI. Sedate.

THEMA.

Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Luc. II.

Quid est audire, quod tam sero audiamus Christum Dominum loquentem, anno scilicet ætatis duodecimo? Numquid ante hanc ætatem semper mutus fuit? Vel cur non sunt scripta, quæ prius locutus est? Non dubium quin prius plurima locutus sit sed more puerili, ætati illi conveniente: anno primum duodecimo sapienter incipit loqui, et talia effari, quæ conscribi voluit ad instructionem nostram. Voluit enim indicare Dominus, linguæ perfectionem, quæ complementum vitæ spiritualis, multo labore et sero comparari. Quemadmodum enim lingua in embryone postrema animatur, et ad bene loquendum ultimo perficitur: (ante triennium enim raro infantes loquuntur, cum tamen alias functiones, sentire, comedere, ambulare citius adiscant: raro etiam lingua ita perficitur, ut omni nævo careat: alius enim blæsus, alius balbus, alius raucus est, etc.) sic etiam in moribus linguæ perfectio ultima et difficillima est, adeo ut S. Jacobus dicat: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, Jac. III. Quare cum Christus

doctorem linguæ se hodie, juvenibus maxime, exhibere voluerit, distulit verba sua nobis aperire usque ad hanc ætatem. Nunc docentem audimus. Loquantur ergo.

I. Suaviter et modeste, non ad contristandum, sed erigendum et consolandum auditorum. Ita Christus in hoc verbo audiens propter se amissum contristatos fuisse ac sollicitos parentes, quasi ipsorum culpa periisset, tristitiam et sollicitudinem eorum abstersurus: *Quid est, inquit, quod me quærebatis?* Quasi dicat: Nulla est culpa vestra, quod me amiseritis; nec erat quod solliciti propterea essetis; quia non est vestra incuria; sed ex voluntate Patris mei cœlestis ego retro mansi: quare omnem mororem ponite. Non ita Jacob patri suo locuti sunt filii quando monstrantes ei cruentam Josephi tunicam dixerunt: *Vide an tunica filii tui sit*, Gen. XXXVII. Non ita Augusta imp. patri suo, quando ab eo reprehensa ob conversationem cum lascivis adolescentibus, respondit: *Et isti mecum senescent*. Quasi diceret: Ubi senuerimus sicut tu, tunc etiam alios mores induemus, Macrob. auct.

II. Veraciter. Ita enim Christus respondet parentibus, id quod res erat, nimirum se mansisse ideo in templo, quia magis obstrictus esset Patri cœlesti quam terrenis parentibus; nolens blandiri eis cum veritatis oppressione. Jam licet semper turpe et peccatum sit aliis mentiri, magis tamen parentibus, quibus mentem suam sincerius aperire tenentur filii, velut ab iis dirigendi, et nequaquam illudere. Mendaces filii et parentum directioni se subducere volunt, et iisdem illudunt, quod vel ipsa natura instructive vidit et horruit Jacob adhuc puer, quando edocutus a matre ut se fingeret Esau, sicque benedictionem patris furaretur, renuit primo dicens: *Timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione*, Gen. XXXVI. Id quod certe ex parte fratris contigit. Nam persuasus a matre mentitus est patri se esse Esau, licet veniali tantum et officioso mendacio, eo ipso tamen odium, non quidem patris, sed fratris incurrit, capitale et perpetuum, ita ut fugere eum cogeretur, nec facile amplius in aspectum ejus venire auderet, quod odium etiam derivatum est in utriusque posteros. Ita nimirum modica mendacii scintilla maximum excitat incendium et gravissimum malum. Unum enim mendacium de domo vel familia, præsertim religiosa, sparsum quantum damnum facit? Quot æmuli eorum applaudendo, alii indignando, imprecando alii graviter delinquant? Parum nivis pede commovit avicula quædam in summo